

ff. de Pœnis, ibi: « Crimen vel pœna paterna nullam maculam filio infligere potest; nam unusquisque ex suo admissio sorti subjicitur. » Huc facit et ob eandem rationem, si compromissarius eligat indignum, potestas eligendi redit ad eligentes, et ipse solus punitur, non vero compromittentes, « quos illius odio non convenit prægravari, ut pœna suum auctorem teneat juxta regulam 155, ff. de Reg. jur. supra n. 1, jam citatam. » Item illud Ezech. cap. XVIII, 20, ibi: *Anima, quæ peccaverit, ipsa morietur filius non portabit iniquitatem patris, et pater non portabit iniquitatem filii*; sicut nec uxor tenetur pro marito l. 2 et 3. C. « Ne uxor pro marito. »

5. *Ratio regulæ.* — Ratio præter jam in textibus expressas ulterior est, quia justitia commutativa et distributiva exigunt, ut jus suum cuique reddatur, innocentes ab injuriis et injustis damnis, aut gravaminibus defendantur, nocentes et rei puniantur, promeriti vero condigne præmientur: quod non fit, si plene innocentes ex præciso odio erga alium, ejusque delicta damnificantur, gravantur, puniuntur, aut alia incommoda sustinere coguntur.

6. *Objicitur ex Scriptura.* — Verum quantumvis juxta et æqua ex dictis appareat regula nostra, tamen graves patitur instantias tam ex Scriptura sacra, quam utroque jure. Ex sacris enim paginis habemus propter unius vel plurium delicta etiam alios innocentes a Deo fuisse punitos. Sic enim tacendo plura alia exempla, propter scandala suorum filiorum populum a sacrificio retrahentium Deus Heli illorum patrem e vivis sustulit l. Reg. cap. IV, 18, et propter peccatum David populum superbe numerantis, de populo innocente a Dan usque Bersabee septuaginta milia virorum sæva peste delovit.

7. *Objicitur ex jure canonico.* — De jure canonico a patre et matre hæreticis filii et nepotes innocentes catholici procreati ad beneficia ecclesiastica et officia publica inhabiles existunt, c. *Quicumque*, 2. § *Hæretici*, et c. *Statutum*, 9, de *Hæreticis*, in 6.

8. *Objicitur ex jure civili, quod propter peccata aliorum puniantur innocentes.* — De jure civili autem propter crimen læsæ majestatis etiam innocentes filii infames evadunt, atque a materna, avitæque et propinquorum successione excluduntur, l. *Quisquis*, 5. C. ad *Leg. Jul. majest.*

9. *Respondetur, quare Deus ob peccata aliena puniat aliquos.* — Respondetur tamen

et quidem ad exempla sacræ Scripturæ, imprimis a Deo nullum innocentem pœna æterna, vel alia animæ nociva puniri: temporali tamen quandoque propter unum etiam alios affici, vel quia, etiamsi appareant, tamen revera innocentes non sunt, sed ejusdem criminis coram oculis divinis directe vel indirecte rei existunt, ob quod merito puniuntur, uti contigit in Heli, qui debite corrigere filios negligens, etiam illorum criminum factus est particeps. Vel, quia licet innocentes in uno, in multis tamen aliis peccatis rei coram Deo inveniuntur, indeque jaste puniuntur. Vel, quia innocentes aliquo modo ut filii ad parentem, subditi ad principem pertinent, puniuntur ut delinquens pœnam acerbius sentiat, dum interea alii, si pœnam ob peccata alterius commissa a Deo immissam in his innocentes patienter sustinent, alia sua peccata extinguunt, animæ dona, gratias et merita sibi cumulant, et salutem æternam facilius consequuntur, sicque ex hujusmodi pœna plus lucri, quam damni acquirunt, ac propterea afflictiones a Deo immissæ respectu delinquentis duntaxat nomen veræ pœnæ: respectu illorum, qui propter alium patiuntur, nomen medicinæ doni et boni spiritualis merentur juxta divum Thom., I, 2, q. 87, a.

10. *Jus canonicum id facit propter utilitatem publicam.* — Ad dispositiones juris canonici respondetur, per illas propter alios puniri in nonnullis etiam innocentes non tam odio erga illos v. g. hæreticos parentes, quam favore cultus divini, ecclesiæ, et communis utilitatis ejusdem, quæ exigat, ut non nisi ab omni suspitione mali alienos nabeat ministros, quates non sunt illegitime nati, et hæreticorum filii, utpote de quibus non immerito metuit Ecclesia, ne imitatores sint incontinentiæ et perfidiæ paternæ, cit. l. *Quisquis*, § *Filii vero*, C. ad *Leg. Jul. majest.*

11. *Sicut et jus civile.* — Ad leges civiles respondetur, eas quoque non tam odio delinquentis, quam cura et amore boni communis et publici pœna in aliquibus afficere innocentes ad avertenda graviora, bonoque publico magis nociva, præsertim læsæ majestatis crimina, quatenus quisvis sciens, hujusmodi crimina etiam in filiis innocentibus tam graviter puniri, ab iis committere magis et efficacius absterreatur.

12. Quod si alicui hæ responsiones minus placeant, et per jura in aliquibus casibus nonnullos etiam aliorum odio contra regulam

gravari contendat, respondetur, regulam fallere in casibus, in quibus ob odium erga unum etiam alium ex justa causa boni publici gravari volunt: ut proin huic regulæ non minus ac sequenti apponi valeat exceptio: « Nisi subsit causa. »

REGULA XXIII.

SINE CULPA, NISI SUBSIT CAUSA, NON EST ALIQUIS PUNIENDUS.

1. *Regula quomodo intelligenda?* — Quæritur, quomodo hæc regula intelligenda, et quis verus illius sensus sit? Resp. I. Sicut præcedens regula vult, ut nullus innocens puniatur, injuste gravetur, damnum vel incommodum patiat præcise ex odio alterius: sic præsens universaliter, et abstrahendo ab omni odio dispositum indicat, ut nullus puniatur sine culpa ex quacunque tandem minus justa bonum commune non concernente causa, v. g. ex interesse proprio, ex respectu humano, ex amore erga alium forsitan inimicum puniri seu puniendi, etc. Siquidem per verba: « Nisi subsit causa. » Regula non nisi justam, et bonum communem concernentem causam intelligit juxta dicenda infra n. 2 et 3. Hinc.

2. *Ponitur verus sensus illius. Sine culpa non datur pœna.* — Resp. II. Verus sensus regulæ hic est: « Nemo est puniendus vel gravandus ob alicujus actus commissionem, vel omissionem, quæ dolo et culpa vacat, nisi ex justa bonum commune seu publicum concernente causa. » Primæ partis, ut nemo sine culpa puniatur, ratio est; quia ubi non est noxa, ibi non est pœna, l. *Sancimus*, 22, C. de *Pœnis*, ibi: « Sancimus, ibi esse pœnam, ubi est noxa: » siquidem « pœna est noxæ vindicta, » l. *Aliud*, 131, pr. de *Verb. sign.*, ac insuper pœna est mensura culpæ juxta illud, *Deut.*, xxv, 2, ibi: *Juxta mensuram peccati erit plagarum modus.* Hinc ubi nulla culpa, nulla quoque esse debet pœna, c. *Cognoscentes*, 2, de *Constit.*, ibi: « Rem, quæ culpa caret, in damnum vacari non convenit, » huc quadrat etiam illud S. Augustini affectum lib. II, *Retract.*, cap. VI, ibi: « Pœna, si justa est, peccati pœna est, et supplicium vocatur. »

3. *Nisi ob causam boni communis.* — Ratio secundæ partis, seu potius exceptionis, videlicet, quod quis etiam sine culpa ex justa bonum commune concernente causa, seu

propter utilitatem publicam puniri vel magis proprie loquendo, gravari, et incommodari valeat, hæc est; quia bonum commune, seu publica et communis utilitas est præferenda privata: consequenter, si illa exigit, ut privatus, etiam sine culpa, puniatur, gravetur, damnum temporale sentiat, hic merito sustinere debet, arg. l. penult., ff. ad *leg. Cornel. de Sicar.*, ubi ad sedandum tumultum decurio inconsulto principe decapitari potest, quod alias sine consensu principis fieri nequit: cum concord.

4. *Declaratur exemplis juris canonici. Simonia ab alio commissæ pœnam quis non incurrit, se ipso prohibente, vel protestante committitur.* — Declaratur et firmatur regula ulterius exemplis ex jure desumptis. Sic enim præter ea, quæ ad præced. regulam, n. 7 et 8, adduximus, ex utroque jure ulterius beneficium dimittere tenetur, qui illud acquisivit per simoniam ipso ignorante ab alio commissam, c. *Nobis*, 27, de *Simonia* (nisi impetrans expresse prohibuerit, vel protestatus fuerit, ne aliquid temporale detur pro beneficio: textu expresso c. *Sicut tuis*, 33, de *Simon.*) quia communis Ecclesiæ utilitas requirit, ut summe eidem nocivum simoniæ vitium omnibus odio fiat, indeque magis extirpetur. Sic innocens uxor sine culpa puniatur, suoque jure conjugali privatur, arg. c. *Quoniam*, 5. § *Si autem, Ut lite non contestata*, ibi: « Quoniam in conjugio multi casus occurrunt, in quibus conjuges sine culpa, sed non sine causa continere coguntur. »

5. *Declaratur exemplis juris civilis.* — Sic de jure civili propter bonum commune, videlicet, ut veritas adulterii bono communi plurimum præjudiciosi eruatur, servus torquetur, tortus autem domino amplius non restituitur. Dynus hic arg. l. *Si postulaverit*, ff. ad *L. Jul. de Adulter.* et l. fin. ff. de *Calumniat.* Sic propter bonum commune dominus puniatur, quod causam prosequi non amplius possit, si procurator illius, etiam absque culpa domini, fatalia appellationis labi permisit, l. I, § fin., ff. *Quando appellat.* Sic universaliter quia potestas supremi principis ecclesiastici ad beneficia et officia ecclesiastica, res et jura ad loca et personas ecclesiasticas pertinentia se extendit, can. *Cuncta*, 17, cau. 9, q. 3, et c. *Licet*, 2, de *Præbend. et dignit.*, in 6, potest de illis non quidem pro libitu, sed ex causa justa publica propter communem utilitatem et religionis bonum disponere cum præjudicio et grava-

mine tertii innocentis : Sicut a pari quia potestas supremi principis sæcularis circa honorem et officia civilia, res, bona et jura privatorum versatur, arg. l. fin. C. de Quadrigen. *vrascript.* de iis disponere, eaque subditis legali vel alia ordinatione etiam innocentibus auferre, transferre, et denegare valet, si communis utilitas reipublicæ ita exigit. Abbas in c. *Quæ in ecclesiarum de Constit.*, n. 7; Gaill., lib. II, observ. 36, n. 3, cum communi aliorum.

REGULA XXIV.

QUOD QUIS MANDATO FACIT JUDICIS, DOLO FACERE NON VIDETUR : CUM HABEAT PARERE NECESSE.

1. *Regula unde desumpta?* — Hæc regula sumpta est ex l. *Non videntur data*, 167, ff. de Reg. jur., ibi : « Qui jussu judicis aliquid facit, non videtur dolo malo facere, qui parere necesse habet. »

2. *Est in illa regula non solum de judicis, sed etiam principis, superiorum, dominorum et parentum mandata.* — Quæritur I. Quomodo hæc regula intelligenda, et quis verus illius sensus sit? Resp. I. Regula intelligenda est non solum de mandato judicis, sed etiam principis. l. *Quod princeps*, 23, ff. de aqua plu. arc. et quorumvis superiorum ac dominorum respectu suorum subditorum, nec non parentum respectu filiorum, ita ut a dolo immunitatis censetur non tantum ille, qui ex mandato judicis, sed etiam qui ex mandato sui principis, superioris, domini aut parentis quid facit aut omittit; quia ratio regulæ de quolibet ex præfatis obedientibus pariter procedit, videlicet cum habeat parere necesse. Hinc :

3. *Ponitur versus sensus regulæ.* — Resp. II. Verus sensus regulæ hic est : « Quicumque ex mandato judicis, vel cujuscunque legitimi superioris sui aliquid facit vel omittit, a dolo et culpa immunis censetur, » per rationes et jura allegata. Probatur ulterius tam ex sacra Scriptura, quam utroque humano jure. Nam Paulus ad Romanos, cap. XIII, 1, 2, de principibus dicit : *Omnis anima potestatibus sublimioribus subdita sit : Non est enim potestas nisi a Deo; quæ autem sunt a Deo ordinata sunt. Itaque qui resistit potestati, Dei ordinationi resistit. Qui autem resistunt, ipsi sibi damnationem acquirunt.* De obedientia debita superioribus et præpositis præstanda ad Hebr., cap. XIII, 17 : *Obedite præpositis vestris, et sub-*

jacete eis. De Dominis ad Ephes., VI, § 5 : *Servi, obedite dominis carnalibus cum timore et tremore sicut Christo.* Quæ obedientia principibus, superioribus, dominis et parentibus debite præstanda etiam alibi in Scriptura sicut et in utroque jure passim, indeque certa habetur, quod subditi habeant parere necesse : necessitas autem tollit præsumptionem doli l. *Mater*, 2. C. de Calumniat. et inducit præsumptionem positivam, fraudem et dolum abesse, l. *Si stipulatus*, 81, § 1, ff. de Solution.

4. *Procedit etiam in dubio, an eorum mandatum sit justum.* — Procedit regula etiam in casu, quo iudex vel Superior indifferentia præcipiat, vel ubi dubium est, num juste vel justa præcipiat; quia iudex (idem dic de superioribus) quæ facit, et jubet, juste facere et jubere præsumitur, arg. c. *Sicut*, 16, in fine, de Sent. et re judic., et l. fin. C. de Offic. civil. jud. ibi : « Non arbitramur, » præsertim cum in dubio melior sit conditio possidentis, arg. in pari, de Reg. jur., in 6, et ff. de Reg. jur.; iudex autem in possessione præcipiendi existat. Accedit argumentum a contrario : qui non paret judici, doli reus præsumitur; nam juxta regulam juris civilis 199, ff. de Reg. jur. « Non potest dolo carere, qui imperio magistratus non paruit : » ergo.

5. *Confirmatur exemplis ex jure.* — Confirmatur regula exemplis juris : sic enim si debito ex præcepto judicis solvat debitum minori absque auctoritate tutoris, non tenetur amplius minori solvere, nec minor habet actionem ad solutionem denuo præstandam, l. *Ait prætor*, 7, § *Permittitur*, ff. de Minoribus; quia habuit parere necesse. Sic etiam, si quis ex mandato judicis sepulcrum destruxit, quo mediante aqua pluvia nocere poterat, non tenetur actione de sepulcro violato, quia auctoritas judicis ipsum excusat. Dyn. hic, n. 2, arg. l. *Quantquam*, 4, prin., ff. de Aqua plu. Sic insuper si quis, facto apud aliquem deposito, moritur relictis quatuor hæredibus, et depositarius uni duntaxat eorum depositum ex mandato judicis restituit, dolo non egisse præsumitur, nec tenetur aliis actione depositi, l. *Si stipulatus*, 81, § *Si lancem*, ff. de Solut., quia mandato judicis habuit parere necesse.

6. *Fallit regula in casu, quo quid contra jus divinum.* — Quæritur II. An? et quas patitur regula XXIV fallentias? Resp. eam fallere primo in casu, quo iudex, princeps, aut superior mandat aliquid juri divino aut natu-

rali manifeste adversum; quia in hujusmodi casu non habet parere necesse, sed potius tenetur non parere juxta illud Act., IV, 19 : *Si justum est in conspectu Dei, vos potius quam Deum audite, iudicate*, et rursus ait cap. V, 29 : *Obedire oportet magis Deo, quam hominibus.* Hinc si iudex ecclesiasticus etiam sub pœna excommunicationis præcipiat mulieri, ut viro suo reddat debitum conjugale, parere nec tenetur, nec salva conscientia potest, si ipsa occulti impedimenti matrimonium dirimentis conscia est, licet id probare nequeat, textu expresso c. *Inquisitioni*, 44, de Sent. excom., ibi : « Si aller conjugum pro certo scit impedimentum conjugii, quamvis illud apud Ecclesiam non possit probare, etc., debet potius excommunicationis sententiam humiliter susinere, quam per carnale commercium peccatum operari mortale. »

7. *Vel etiam clarum et manifestum jus humanum præcipitur.* — Fallit secundo, si quid præcipitur, quod contra jus clarum manifeste militat; siquidem etiam in tali casu parere non habet necesse, sed resistere potest, ac debet. Dynus hic cum communi aliorum. l. *Omnes*, 33, C. de Decur. et l. *Evidenter*, de Excusat. muner. cum concord. apud Dylum, hic n. 4.

8. *Fallit insuper in iudice, si hic aliquid ad suum officium non pertinens mandat.* — Fallit tertio, in iudice, si mandat aliquid, quod ad suum non pertinet officium. Ratio est, quia iudici in iis tantum parere necesse est, in quibus suo fungitur officio, non item in aliis, arg. l. *factum*, 170, ff. de Reg. jur. ibi : « Factum a iudice, quod ad officium ejus non pertinet, ratum non est. » Et l. 1, C. *Si non compet.*; estque idem, si iudex rem ad ipsius officium non pertinentem mandat, ac si extra territorium suum jus dicat, indeque faciat, quod ei impune non pareatur. l. fin. ff. de Jurisdic. ibi : « Extra territorium jus dicenti impune non paretur; idem est, si supra jurisdictionem suam velit jus dicere. »

REGULA XXV.

MORA SUA CUILIBET NOCIVA EST.

1. *Regula unde desumpta?* — Hæc regula desumitur ex l. *In condemnatione*, 173, § *Unicuique*, ff. de Reg. jur. ibi : « Unicuique sua mora nocet » et l. *Emptor*, 12, ff. de Aqua plu. arc. aliisque a Gloss. citatis hic.

2. *Quid hic intelligatur per moram?* —

Quæritur I. Quomoda hæc regula intelligenda, et quis verus illius sensus sit? Ante responsionem præmittendum est, quid, et quotuplex ad propositum sit mora, de qua loquitur regula præsens. Sciendum itaque, quod etsi late loquendo nomine moræ veniat omnis dilatio, tarditas, et procrastinatio, ad propositum tamen accipiatur « pro culpabili et damnosa, seu nociva dilatione dandi vel solvendi, seu solutionem acceptandi, vel faciendi aliquid eo tempore, quo quis debet et potest; » ut si quis non præstat vel non acceptat solutionem tempore, quo id facere potest et debet. Juxta quod exemplum Barb. n. 1, cum multis aliis allegatis dicit : « Moram ad propositum esse dilationem culpam circa solvendum vel accipiendum creditum. » Simili fere modo ad propositum definitur apud Strein : « Mora est culpa prætermissi officii in solvendo, recipiendove debito, quæ alteri nociva est : » Vel « est frustratio debitoris non solventis, vel creditoris non accipientis. » Verum cum non tantum in solvendis et recipiendis debitis, sed etiam in aliis obligationibus præstandis culpabilis detur mora, prima definitio videtur melior.

3. *Mora aliqua est ex persona, quæ etiam regularis vocatur.* — Mora sic sumpta duplex est : una « ex persona, » quæ etiam « regularis » communiter vocatur : altera « ex re, » quæ mora « irregularis » nuncupatur. arg. l. *Mora*, 32, ff. de Usur. et fruct. « Ex persona » intervenit culpabilis mora, quando is, cui debetur, monet, seu interpellat, ut debitum ex contractu v. g. venditionis et emptionis sine determinatione temporis contractam eidem solvatur, facta enim hujusmodi competenti monitione solvere ulterius differens in culpabili mora solvendi est, et ad damnum ex hac mora postea secutum tenetur. Ad quod tamen necessario requiritur dicta prævia monitio, seu interpellatio pro solutione præstanda; quamvis enim in omnibus obligationibus, in quibus certa dies vel tempus non apponitur, statim, ac ipsa obligationis die quis teneatur. l. *In omnibus*, 14, ff. de Reg. jur. ibi : « In omnibus obligationibus, in quibus dies non ponitur, præsentis die debetur, » tamen ut debitor in culpabili mora ex persona constituatur, necesse est, ut opportuno tempore prius saltem semel interpelletur. arg. cit. l. 32, ff. de Usur. et fruct.

4. *Alia ex re, seu irregularis, ubi jus et dies*

interpellat pro homine. Declaratur exemplis. — «Mora ex re,» seu irregularis est, quando debitor non solvit aut satisfacit eo die vel tempore, quo, ut solvat sine ulla interpellatione creditoris, jus ipsum disponit et monere censetur, prout fit in omnibus contractibus, in quibus contrahentes ipsimet certam diem vel tempus pro solutione præstanda præfigunt: eo quod in his, jure sic disponente, dies ipsa determinata pro homine interpellat, indeque ea elapsa in culpabili mora existat debitor, textu expresso l. *Magnam* 12, C. de *Contrah. stipul.* ibi: «Sancimus, ut, si quis certo tempore facturum se aliquid vel daturum stipuletur, vel, quæ stipulato voluit, promiserit, et adjecerit, quod si statuto tempore minime hæc perfecta fuerint, certam pœnam dabit, sciat minime se posse debitor ad evitandam pœnam adjicere, quod nullus eum admonuit,» cum concord.

5. Sic etiam fur a die commissi furti semper est in culpabili mora restituendi, quæ ei nocet, jure ipso sic disponente, et, ut statim restituat, furem monente. l. fin. ff. de *Condict. furt.* juncta l. *Merito*, 19, ff. de *Vi et vi armata*. Sic pariter in contractu emptionis, ubi nullum tempus certum pro solutione determinatum est, disponente et monente jure emptor fructus ex re empti, pretio nondum soluto, interea perceptos sine ulla interpellatione venditoris ei restituere debet, in quantum ipsius interest, et non restituens in culpabili mora est. l. *Curabit*, 5, C. de *Action. empti*. Cæterum hæc mora ideo vocatur *irregularis*, quia regulariter loquendo mora ex interpellatione creditoris nascitur, arg. cit. l. *Mora*, ff. de *Usur. et fruct.* His præmissis.

6. *Ponitur verus sensus regulæ.* — Resp. ad quæstionem n. 2, positam: Regula non tantum de mora «ex persona,» sed etiam «ex re» venit intelligenda, ut proin verus illius sensus sequens sit: «Quando debitor id, quod debet, tempore debito non præstat, mora ipsi, non creditori nociva est, sive ab homine, creditore videlicet, sive a Jure, aut statuta die fuerit interpellatus, ita, ut ad omnia damna et incommoda ratione moræ secuta resarcienda teneatur.» Per jura citata, et adhuc citanda.

7. *Culpabiliter morosus tenetur ad æstimationem rei, etiamsi casu perierit.* — Declaratur, firmaturque regula et sensus illius per effectus moræ ex jure desumptos, quorum aliquos specificat Dynus hic n. 1, et seqq.

Sic enim in primis tenetur culpabiliter morosus præstare æstimationem rei debitæ v. g. equi, qui tempore moræ periit, etsi interitus casu contigerit. l. *quod te*, ff. de *Reb. credit. si cert. petat*. l. *Si in Asia*, 12, § fin. ff. *Depos. cum concord.* a Dyno citatis.

8. *Item ad compensandos fructus.* — Dein tenetur ad fructus compensandos et quidem in contractibus bonæ fidei a tempore inchoatæ moræ. l. *Si quis bonorum*, 23, ff. de *Legat. I*, l. *Moræ*, cit. § 2, l. *Qui solidum*, 78, § *Etiam*, ff. de *Legatis II*. Dynus hic. et Peck. n. 21.

9. *Atque ad interesse, et usuras.* — Ulterius tenetur ad interesse et usuras, quæ peti possunt, et augentur a die moræ; quod in odium debitoris ita constitutum habetur l. *Ratio* 3, § *Si per venditorem*, ff. de *Action. empti*. et l. *Si Kalendis*, 2, ff. de *Re judicat.*

10. *Necnon ad subeundam pœnam contractui adjectam.* — Rursus tenetur ad subeundam pœnam, si quam ratione moræ contrahentes statuerunt. cit. l. *Moræ*, § 2, ff. de *Usur. et fruct.* Peck. hic, loc. cit. ubi plures moroso debitori nocivos effectus enumerat. Item qui minori aliquid debet ex legato, fidei commissio, bonæ fidei contractu, illud statim sine ulla interpellatione hominis, ipso monente jure ac die, quo debere incipit, solvere tenetur, et non solvens in mora constitutus censetur, indeque ad damna et usuras obligatur. l. *In Min.* 3, c. *In quibus caus. restitutio necess.*

11. *Fallit regula in fidejussore, cui aliena, principalis videlicet debitoris mora nocet.* — Quæritur II. An et quales regula 23, patiantur fallentias? Resp. eam fallere in eo, quod mora non tantum ipsi moroso, sed etiam alii nociva sit, et quidem primo in fidejussore, utpote cui nocet mora in solvendo existentis debitoris principalis l. *Mora*, 88, ff. de *V. O.* ita ut teneatur fidejussor etiam ad damnum, et interesse, saltem si in omnem casum promisit. l. *Quæro*, 54, pr. ff. *Locati, conducti*. Dicitur autem notanter, «saltem si in omnem causam se obligavit;» quia non desunt auctores apud Barb. hic n. 9, docentes, fidejussorem, si in omnem casum expresse non promisit, ad debitum principale quidem, ad damnum et interesse vero non teneri, contradicente Glossa hic Strein, et aliis volentibus, fidejussorem semper censi in omnem casum fidejubere. l. *Si fidejuss.* 7, ff. de *Fidejuss.*

12. *Idem est in contractu societatis.* — Fal-

lit secundo in casu quo duo socii sunt obligati, ubi mora unius nocet alteri socio. l. *penult.* ff. de *Duobus reis*, ibi: «Ex duobus reis ejusdem stichi promittendi factis, alterius factum alteri quoque nocet.» et l. *In condemnatione*, 173, § 2, ff. de *Reg. jur.* ibi: «Unicuique sua mora nocet, quod et in duobus reis promittendi observatur;» quia sociorum communis causa commodi et incommodi est, et quisque sibi imputare debet, qui minus diligenti socio se adjunxit. § fin. *Instit. de Societ.* «Nam qui parum diligentem socium sibi assumit, de se quæri, sibi que imputare debet.»

13. *Ac in parente respectu filii.* — Fallit tertio quoad actionem de peculio, ubi mora filii patri nocet. l. *Cum filius*, 49, pr. ff. de *V. O.* quamvis omnes has tres fallentias vere tales esse aliqui negent, eo quod filius cum patre, fidejussor cum principali creditore, socius cum socio in hujusmodi casibus idem fictione juris esse velint.

14. *Fallit item quando in mora existens moram legitime purgat.* — Fallit quarto, quod nec ipsi debitori sua mora sit nociva in casu, quo debitor moram suam legitime purgat, remonstrando, se in mora culpabili non fuisse, ut, si subterfugia non quærit, sed de fidejussoribus et aliis sollicitè indagat, quorum auxilio creditori satisfieri queat. l. *Sciendum*, 21, ff. de *Usur. et fruct.* quia in tali casu mora culpabilis adesse non videtur. Legenda in ordine ad hanc fallentiam est Glossa hic varia jura pro et contra allegans et concilians sub distinctione, quod ubi dies præfiguratur a jure pœnam imponente et dies præfixa culpabiliter non observatur, mora purgari non possit (pœna enim semel commissa non purgatur) et sic intelligi multa jura, ac præsentem regulam vult: nisi in casu aliquo moram purgari posse specialiter caveatur.

15. *Item in casu, quo debitor solvere voluit, et creditor non accepit.* — Huc pertinet, et fallit regula quinto, quando debitor non quidem illo, quo debuit, eo tamen tempore solvit, antequam creditor aliquod damnum passus est: vel si solutionem elapso jam debito tempore obtulit, et creditor, etsi potuerit, eam non accepit; cum hujus posterioris mora purgetur prior. l. *Illud*, 17, ff. de *Pericul. et commod.* ita ut debitor ad obligationem sustinendi moræ nocumenta absolvatur: excepta pœna a contrahentibus constituta. Gloss. hic. quam ipsam tamen æs-

tare non tenetur, si docet, quod a præstatione debiti absque propria culpa fuerit impeditus etiam ipso tempore, quo alias solvere tenebatur l. *Quod te*, 5, ff. de *Reb. cred.* cum universaliter loquendo præsens regula loqui censeatur de mora, quæ dolum et culpam præsupponit. cit. l. *Quod te*. et ibi Bart. Taccin. hic n. 6, Farin. tom. I, consil. 15, n. 36, et magis patebit ex regula 60, h. t. Non est in mora, qui potest exceptione legitima se tueri. arg. can. *Biduum*, 29, can. 2, q. 6.

REGULA XXVI.

EA, QUÆ FIUNT A JUDICE, SI AD EJUS NON SPECTANT OFFICIUM, NON SUBSISTUNT.

1. *Regula unde desumpta?* — Desumitur hæc regula ex l. *Factum*, 170, ff. de *Reg. jur.* ibi: «Factum a iudice, quod ad officium ejus non pertinet, ratum non est,» cui concordat. l. fin. ff. de *Jurisdic.*

2. *Quid per officium Judicis intelligatur?* — Quæritur I. Quomodo hæc regula intelligenda, et quis verus illius sensus sit? Resp. I. Per officium judicis hic intelligi potestatem et jurisdictionem a lege, canone, vel homine judici concessam ad debite et legitime examinandas, tractandas, judicandas, expediendas causas et negotia ad suam potestatem, seu jurisdictionem pertinentia: ut proin judex tunc aliquid, quod ad officium non spectat, agere dicatur, quando transgreditur limites concessæ sibi potestatis et jurisdictionis; sive dein id faciat circa rem et causam sub potestate et jurisdictione non comprehensam, sive circa personam jurisdictioni illius non subjectam, sive extra territorium suæ jurisdictioni præfixum, sive contra præscriptam juris formam et ordinem. Quæ omnia et singula a iudice facta juxta regulam nulla et invalida sunt per rationes et jura infra alleganda. Hinc.

3. *Ponitur verus regulæ sensus.* — Resp. II. Verus regulæ sensus hic est: «Omne id, quod judex ultra limites potestatis et jurisdictionis sibi concessæ, vel contra præscriptam juris formam facit, nullum et invalidum est.» Ratio est, quia tota vis et valor eorum, quæ a iudice geruntur, fundatur in potestate publica, et jurisdictione sibi data, ac præscripta: consequenter ubi hoc fundamentum deficit, valorem quoque actorum ab eo deficere necesse est. Barb. hic n. 1,